

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0749

0747

0753

0743

0758

0738

0798

0698

0848

0648

0248

Ende

Anfang

176

Sic faciunt in omnibus aliis: Biblam tenent, ubi volunt;
sed ubi nolunt, contrarium asserunt pertinaciter, non obstante
veritate.

(B) Porro mons ipse, in quo stabamus, mons Engaddi
dicitur, similiter cum aliis sibi cohaerentibus montibus. No-
minatur tamen Genes. 14. et 2. Paral. 20. Asason tamar, et
fuit quondam regio Amalechitarum. Et beatus Jeronymus de
distantiis locorum dicit, quod Engaddi est in tribu Judae, in
solitudine, quae est in aulone supra mare mortuum, et suo
tempore dicit ibi pergrandem vicum stetisse. Ad hunc locum
Engaddi confugit David a facie Saul, regis Israel, ut ibi con-
servaretur tamquam in locis tutissimis, ut habetur 1. Reg. 14.
Sunt enim montes alti et petrosi, pluribus cavernis forati, et
pleni scissuris, inter illas autem speluncas est una grandis,
profunda et obscura, in valle nemorosa ad latus eminentissimae
rupis patulum in tractum habens desuper pendentibus abruptis
rupibus. Quae spelunca non immerito dici potest misericor-
diarum David schola. Nam in eum specum submisit se Da-
vid cum suis armatis, contrahens se ad penetralia ejus, cum
audiret Saul regem loco adventurum cum tribus millibus viris,
cum quibus evagabatur Saul per loca deserti Engaddi etiam
super abruptissimas petras, quae solis ibicibus, i. e. capreis
silvestribus, perviae sunt. Invidia enim agitabat eum usque
ad loca inaccessibilia, quia audire non poterat cantum vulgi,
qui in choro canebat, in quo laus praestantior dabatur David,
quam sibi, cum cantarent: Saul percussit mille, et David
decem millia. Interea Saul descendit cum suis usque in val-
lem speluncae David, et cum rex ad os latibuli venisset, in-
gressus est specum, ut murmurantem purgaret ventrem in
tenebris, et se denudans ac incurvans naturae opus perfecit,
stantibus in dorso ejus David cum suis, vibratis gladiis, pu-
gionibus, hastis et fustibus. Recordatus autem David mis-
ericordiae misertus est ejus, qui se sine misericordia quaere-
bat perimere, et percussit cor suum, confregitque corda viro-
rum suorum, ne regem interficerent, et abscissa ora chlamy-
dis illaesum abire permisit. Ecce invidia Saulis detesta-
bilis et misericordia Davidis imitabilis. Sicut enim, inquit
Basilius, rubigo ferrum, sic invidia animam, in qua nascitur

